



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 34. Documenta Hincmari ad suos Presbyteros.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

Sæculum IX.
A. C. 857.

Joannis Scoti, imo hujus Scripti Auctorem non potuisse a se explorari; cum tamen constet, ab ipsomet & a Pardulo Joannem Scotum ad scribendum fuisse excitatum. Tandem fingit se credere non posse, hoc Decretum revera a Patribus Concilii Valentini esse profectum, dicitque, cum nesciat, quibuscum sibi res sit, se Responsum dirigere ad Regem Carolum, a quo has Litteras accepisset. Ex hoc factò Hincmari plus dissimulatio quam bona Fides elucet.

§. XXXIV.

Documenta Hincmari ad suos Presbyteros.

to. 8. Conc. p. 585.
Hincm. to. I. p. 730. Porro Hincmarus anno Pontificatus sui duodecimo, ab Incarnatione octingentesimo quinquagesimo septimo, die decima Junii documentis antea editis, ad Presbyteros suæ Diœcesis informandos, tres Articulos addidit. Primus, & majoris momenti, ad pœnitentiam publicam pertinet. *Quamprimum parricidium vel aliud crimen publicum perpetratum fuerit, Parochus reum moneat, ut Decano aliisque Parochis se sistat & pœnitentiæ se submittat. Ipsi vero Præpositis suis in Civitate hac de re rationem reddant. Ita peccator intra quatuordecim dies ad nos venire poterit & pœnitentiam publicam cum impositione manuum accipere.*

Sæculum IX,
A. C. 857.

pere. *Dies, in qua commissum peccatum, & qua injuncta fuerit pœnitentia, diligenter adnotentur. Tum Parochi in Calendis convenientes consilia de statu suorum pœnitentium conferant, & nobis indicent, qua ratione quilibet suam pœnitentiam peragat, unde nos decernamus, quando reconciliandus sit. Si reus intra quatuordecim dies pœnitentiæ se non submittat, excommunicetur, (*) donec hoc leve Ecclesiæ jugum subeat. Parochus, qui sciens patratum crimen illud ad nos non detulerit, ab officio suo suspensus in pane & aqua tot dies jejunet, quot peccatum indicare distulerit, & si peccator a nemine admonitus moriatur, deponatur Parochus. Solicite vero caveant Presbyteri, ne unquam pœnitenti in articulo mortis Viaticum devote petenti denegent, ea conditione, ut pœnitentiam compleat, si convalescat. Pro exequiis Parochi nihil accipiant, & nemo jus hæreditarium sepulture sibi arroget, sed in arbitrio Parochi positum sit. Missa nunquam nisi in Altari consecrato, aut saltem in lapide benedicto celebretur.*

§. XXXV.

(*) Etsi peccatores ad subeundam Pœnitentiam publicam cogi non solerent, non nunquam tamen Pœnæ spirituales in eos decernebantur.

Hist. Eccles. Tom. XI.

S s